

EPIMETRUM AD OLEUM CONDĪTUM (RHEIN. MUS. 146, 426–429)

Cum de cena, quam Valerius Leon Mediolanensis Divo Iulio teste C. Oppio (cfr. Suet. D. Iul. 53 et Plut. Caesar 17) apposuit, nuper in hac ephemeride disse-
ruerim (146 a. 2003, p. 426–429), peropportunum videtur locum quendam Luciane-
um (quem mihi sodalis G. D’Alessandro monstravit) proferre, ex quo apparebit et
oleum conditum sine dubio esse legendum (quod contra multorum opinionem pla-
ne contenderam) et hoc genus olei bibere moris fuisse plurimis illius aetatis helluo-
nibus (quod antea negaram). Ecce Luciani verba (Nigrinus 31): τούτους γὰρ εἶναι
τοὺς τὸ πολυτελὲς ὄψον ἀνουμένους καὶ τὸν οἶνον ἐν τοῖς συμποσίοις μετὰ κρόκων
τε καὶ ἀρωμάτων ἐκχέοντας, τοὺς μέσου χειμῶνος ἐμπιλαμένους ῥόδων καὶ τὸ σπά-
νιον αὐτῶν καὶ παράκαιρον ἀγαπῶντας, τὸ δ’ ἐν καιρῷ καὶ κατὰ φύσιν ὡς εὐτελὲς
ὑπερηφανοῦντας, τούτους εἶναι τοὺς καὶ τὰ μύρα πίνοντας. Ergo non errore sed
inepta divitiarum ostentatione Leon oleum conditum Caesari apposuit, sicut ani-
mum adverterat Casaubonus.

Nemo de hac re, credo, denuo disputare volet: Suetoni et Plutarchi verba ap-
tissime cohaerent, ex quibus patet Oppium tradidisse hospitem Mediolanensem va-
nissima iactantia Divo Iulio asparagos unguento perfusus apposuisse; quae cum ita
se habere iam Casaubonus perspexisset, ego, tanti ducis vestigia ingressus, firmissi-
mis argumentis probare conatus sum.

Bonnae

Carolus Martinus Lucarini